Quid sibi volunt tot tam parvo intervallo cometæ nostra
ætate? Vale. Cocinum D. Danonem tuum saluta; mea
abiit ad fratrem et sororem in Poloniam. 19 Maij 1582.
Vidi hodie Cometam aut quicquid illud est hora XI. p. m.
intra duas stellas per lineam rectam humeri Erichtonij
ad minus lucidam propius erat, ita obscurus erat, ut notari
vix posset.

461 Eidem

S. P. Audivimus et deploramus etiamnum publicam illam
calamitatem, quam vix effugiet hæc quoque civitas: priva-
tum tuum casum, etiam propter eos, qui supersunt, qui mi-
nerito chari esse debent, vel propterea quod tui sint, ma-
gno equidem dolore prosequor, neque aliud in his et aliis mea
solatium majus est, quam si ad supremam illam et prima
causam cogitationes nostras referamus, cui nec possumus,
nec vero debemus obluctari. Mihi quoque erepta est ex mi-
sero hoc nostro ergastulo, filiola, quam in cunis vidisti.
Hoc quadriennio quatuor meis liberis oculos ipse clausi
quod extremum officium ab illis miserabilis senex expecta-
bam. Sed secus visum est ei, qui vitæ et necis autor est
atque utramque nobis inconsultis et dare potest, quum ei pla-
citum est et adimere. Ut te isthinc commoveas cum te-
nellis tuis liberis et chara uxore, valde probo. Non quo
te putem manus Dei ullo loco effugere posse, si decretum
est hac ratione te evocare, sed quod media, qui respuit
ipsum Deum tentare videatur, cujus nobis non ante nota
est voluntas, quam ex eventu perspiciatur. Vienna alioqui
valde obnoxia solet esse huic lui, mirum si hoc tempore
immunis est; mallem te in vicinia alicubi exitum rei exspe-
ctare. De tuo filio, ut primum reversus fuerit gener tuus,
qui mandato cameræ abest alicubi, agam cum eo; sic qui-
dem parvos progressus in literis facere potest, discursando
cum sororio suo, qui tamen ita eum amat, ut non sit passu-
(: ut ex ejus verbis colligo :) diutius eum hic herere.
Meus Quirinus mecum adhuc est, expectat vecturam ali-
quam, si non longius, saltem Norimbergam vel Augustam

Qua

Quæ mihi describi jussisti, facilè patior ibi esse, ubi sunt. de Ao 1582.
Nam si scriba peste interiit, etiam liber ille potuit in-
fici labe illa pestifera, ut Medici vestri dicunt, et expe-
rientia docet, inseri in hæc corpuscula latentem quandam
pestis sementem. Scripsi iterum ad Buccellam de te. Rex
enim J: ut ex ejus literis apparet: cupit scire, quot liberos
habeas, quâ ætate sis, cujus nationis, quamdiu Cæsari servie-
ris, cur nunc non servias etiam huic. Ego fusius omnia
perscripsi et amici officio functus sum. Deus cœpta for-
tunet. Pal. dicitur Rom. abductus, ut Molocho offeratur.
O casum miserabilem! si quid de eo habes, fac me cer-
tiorem. Vale cum tuis. Saluto cum conjuge mea tuam
et te. Vratisl. 10. Augusti 1582. Zwinger nihil de tuis
Mathematicis operibus respondet.

47)

Eidem.

Clarissime atque Excell. Dñe Doctor, Amice honor: et ca-
riss: S. L. Acceperam equidem literas Pragen: tuas, sed cum
alio profectum fuisse te eo ipso tempore intellexissem, re-
sponsum distuli; Scripsi tamen ad Amicum nostrum vi-
rum integerrimum Prætorium, ut omnem diligentiam
ad lucubrationes tuas conferret; Facturum se promisit
et faciet sanè suamque sententiam tibi liberè dicet, ut solet,
Verum jam nunc sibi displicere, totum illud rixarum
et conviciorum genus ostendit, et judicat id omne tollen-
dum esse, quod ad causam ipsam, hoc est, rem, de qua
disputatur, non pertinet: sed mores, vitam, personasque
ipsas attingit. In quo me Hercules, habet me quoque
ὁμόψηφον, ut Græci dicunt, et sententiæ suæ adstipu-
latorem. Decrescet liber, si hujusmodi omnia tollantur,
et lectio erit viris gravibus et rem non verba quæren-
tibus haud paulò jucundior. Etsi hæc ætas lectione in-
vectivarum quoque, quarum pleni sunt, omnium propè
professionum libri non mediocriter delectatur. Sed de iis
tuum esto judicium. De Calendario Gregoriano Witti-
chium nostrum valde et sæpe ad nauseam usque ursi,
nihil ab eo impetrari potuit. Non negat quidem in eo
se laborare, sed nihil apparet. Promissa ejus sunt astro-
logica. Legi Molleri ineptias et miratus sum hoc homi-
nem